

Si a prima te reipublicae parte fortuna summovertit, stes tamen et clamore juves, et, si quis fauces oppresserit, stes tamen et silentio juves. Numquam inutilis est opera civis boni : auditus est visusque. Vultu, nutu, obstinatione tacita incessuque ipso prodest. Ut salutaria  
5 quaedam citra gustum tactumque odore proficiunt, ita virtus utilitatem etiam ex longinquo et latens fundit : sive spatiatur et se utitur suo jure<sup>1</sup>, sive precarios habet excessus cogiturque vela contrahere<sup>2</sup>, sive otiosa mutaque est et anguste circumsaepa, sive adaperata, in quocumque habitu est, proficit. Quid tu parum utile putas exemplum bene  
10 quiescentis ? Longe itaque optimum est miscere otium rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis aut civitatis condicione prohibebitur ; numquam enim usque eo interclusa sunt omnia, ut nulli actioni locus honestae sit.

---

<sup>1</sup> Litt : [si elle use d'elle même avec son plein droit] : si elle est libre de ses mouvements

<sup>2</sup> *Vela contrahere* : réduire la voile (= se modérer, ne pas donner toute sa mesure)